



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Mirabilis visio Abbatis Cyriaci Lauræ Calamonis, & de duob[us] impij
Nestorij libris. Ca. LXVI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

si imagines colere abominale esset. demon non tantopere egre ferret. 2. Habes rectum modum venerandi imagines, nempe ut illum colamus cuius sunt imagines, unde per mente recurrendum est ad prototypum.

Mirabilis visio Abbatis Cyriaci Lauræ Calamonis.
 Et de duobus impij Nestorij libris. C. A. LXVI.

Accessimus ad Abbatem Cyriacum præbiterum Lauræ Calamonis iuxta sanctum londenem, narravitque nobis dicens: Die quadam per somnum mulierem honesta facie, purpuratam, & cum ea viros duos, & ipsos venerandi habitu, & aspectu præclaro. Arbitratus autem sum mulierem illam esse Dominam nostram sanctam Deogenitricem, eosque qui cum illa erant, duos viros sanctum Joannem Baptistam, & sanctum Joannem Theologum, & Evangelistam. Egredi usque de cella orabam illam, ut ingrederetur. Quæ non concessit. Permansi ergo diutius orans, & obsecrans ac dicens: Ne queso, auertatur humiliter factus confusus: & alia plurima huiusmodi. Illa igitur me vidit instare precibus, eandemque pollutionem iterare, seuerius mihi respondit dicens: Habes intra cellam tuam inimicum meum, & vis ut ingrederis? Et his dictis, abscessit. Euigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam, num aliquid in mente peccatum contra illam admisisset; neque enim erat alius aliquis in cella mea, nisi ego solus. Diutius igitur meipsum discutens, nihil inueni, quod in illam peccassem. Cum verò vidissem me nimio mœrore absorberi, surgens accepi librum, ut legerem, quod per huiusmodi lectionem dolore vana, cogitationesque repellerem. Librum autem ipsum acciperam mutuo à Beato Isychio presbytero Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Euoluensque librum inueni duos impij Nestorij libros in fine voluminis scriptos. Moxque

novi hunc esse sanctæ Dominæ nostræ Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ inimicum. Tunc surgens abij, librumq; illi qui mihi eum accõmodauerat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum, frater, neq; enim ex eo tantũ utilitatis cœpi, quantum detrimenti. Cũ verò ille detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinẽ retuli. Qui zelo Dei succensus protinus duos illos Nestorij librosex volumine præscidit, eosq; 2 igni tradidit dicens: Non manebit in cella mea Dominæ nostræ S. Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ inimic⁹.

1 *Ecce quomodo etiam sanctissima Dei Genitrix hereticum hominem auersatur.*

2 *Huius sancti viri exẽplo edocemur, hereticorum libros comburi debere.*

Miraculum S. Dei genitricis contra Gaianum Mimum qui eam in theatro blasphemabat.

CAPVT XLVII.

Heliopolis Phœnicis ciuitas est. In hac Mimus quidam erat, Gaianus nomine. Qui in theatro sanctã Dei genitricẽ blasphemans, populo spectaculum blasphemie præbebat, apparuit autẽ illi sancta Dei genitrix, dicens: Quid tibi mali feci, quia corã tanta multitudine, mihi detrahis, & blasphemas me? Ille verò surgens, nõ solum nõ se correxit verũ etiam pl⁹ blasphemabat. Rursus ergo apparuit illi sancta Dei genitrix corripiens eũ, ac dicens: Noli quẽso, noli, ita lædere animã tuam. Ille verò rursũ deterius illã blasphemabat. Vnde ipsa tertio eidẽ apparẽs, eadẽ repetebat. Cum autẽ se ille non corrigeret, sed plus quoq; blasphemijs adijceret, meridie dormienti sibi apparuit, nihilq; dicens, digito solo signauit ei⁹ man⁹, & pedes. Euigilans autẽ, inuenit se truncatũ manib. & pedib. Atq; ita infelix vt trũcus inutilis iacens, confitebatur õnib, cuius